Prophetia Abdiae

Hebraice Ovadya

1 visio Abdiae haec dicit Dominus Deus
ad Edom auditum audivimus a
Domino et legatum ad gentes misit
surgite et consurgamus adversum eum
in proelium
2 ecce parvulum te dedi in gentibus
contemptibilis tu es valde
3 superbia cordis tui extulit te
habitantem in scissuris petrae
exaltantem solium suum qui dicit in
corde suo quis detrahet me in terram
4 si exaltatus fueris ut aquila et si inter
sidera posueris nidum tuum inde
detraham te dicit Dominus
5 si fures introissent ad te si latrones per
noctem quomodo conticuisses nonne
furati essent sufficientia sibi si
vindemiatores introissent ad te
numquid saltim racemos reliquissent
tibi
6 quomodo scrutati sunt Esau
investigaverunt abscondita eius
7 usque ad terminum emiserunt te omnes
viri foederis tui inluserunt tibi
invaluerunt adversum te viri pacis tuae
qui comedunt tecum ponent insidias
subter te non est prudentia in eo
8 numquid non in die illa dicit Dominus
perdam sapientes de Idumea et
prudentiam de monte Esau
9 et timebunt fortes tui a meridie ut
intereat vir de monte Esau
10 propter interfectionem et propter
iniquitatem in fratrem tuum Iacob
operiet te confusio et peribis in
aeternum
11 in die cum stares adversus quando
capiebant alieni exercitum eius et
extranei ingrediebantur portas eius et

super Hierusalem mittebant sortem tu
quoque eras quasi unus ex eis
12 et non despicies in die fratris tui in die
peregrinationis eius et non laetaberis
super filios Iuda in die perditionis
eorum et non magnificabis os tuum in
die angustiae
13 neque ingredieris portam populi mei in
die ruinae eorum neque despicies et tu
in malis eius in die vastitatis illius et
non emitteris adversum exercitum eius
in die vastitatis illius
14 neque stabis in exitibus ut interficias
eos qui fugerint et non concludes
reliquos eius in die tribulationis
15 quoniam iuxta est dies Domini super
omnes gentes sicut fecisti fiet tibi
retributionem tuam convertet in caput
tuum
16 quomodo enim bibisti super montem
sanctum meum bibent omnes gentes
iugiter et bibent et absorbent et erunt
quasi non sint
17 et in monte Sion erit salvatio et erit
sanctus et possidebit domus Iacob eos
qui se possederant
18 et erit domus Iacob ignis et domus
Ioseph flamma et domus Esau stipula
et succendentur in eis et devorabunt
eos et non erunt reliquiae domus Esau
quia Dominus locutus est
19 et hereditabunt hii qui ad austrum
montem Esau et qui in campestribus
Philisthim et possidebunt regionem
Ephraim et regionem Samariae et
Beniamin possidebit Galaad
20 et transmigratio exercitus huius
filiorum Israhel omnia Chananeorum
usque ad Saraptham et transmigratio
Hierusalem quae in Bosforo est
possidebit civitates austri
21 et ascendent salvatores in montem Sion
iudicare montem Esau et erit Domino

regnum.